



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

24. Item alio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

venerando, amabiliter diligendo, sanctitatis culmine conspicuo, ac nobilitatis titulo decorato, piissimo, sive sacra eloquia seu præcepta Dei plenissimo, sanctorum meritis coæquando, & palma triumphationis atque sanctitatis gratia ornato, inclito præclaroque. Deus omnipotens faciat in sancta religione permanere. Venerabili in Christo & à nobis cum summa reverentia nominando illo Episcopo ego ill. in Domino perpetuam mitto salutem. Multimoda nobis benevolentiam vestram generare comperite gaudia quotiens nobis aditus dederit opportunus ut ad indagandam sospitatem vestram nostras dirigere apices debeamus. Quia nihil melius nisi ut invicem mutuam caritatem orando in invicem alterutrum spiritalia pabulum subministrare non cessemus, Hilarem & gaudentem citius vos cernere mereamus.

*Item alio.*

XXIV. Summa veneratione nobilissimi generis seu industriæ vel sagacitatis culminisque sublimitatis ineffabile à nobis scientiæ vestræ, Domine inlustrissime, cum summa nobis reverentia nominando illo ille exiguus tam multiplices vobis salutes dirigere cupimus, & reliqua. obsecrantes piissimo Domino ut vos unâ cum culminis sublimitatis vestræ longa per tempora trina conservet deitas, & quandoque terrena linquetis, suffragantibus sanctis angelorum mereatis cœtibus glomerare, præcellentiissime & inclite Domne.

*Item alio.*

XXV. Domino venerabile inlustrique sagacissimo, sed inlustriore sanctitate & gratia Dei pollente, & sacerdotale apice sublimato, Domino illo ille alumnus vester salutem in Domino vobis præsumpsimus destinare. Supplicamus, Domne, gratiæ vestræ ut nos pro mercede vestra mon. instruere faciatis, & juxta vestram bonam consuetudinem, quod semper nos piè ut dulciter gubernare dignastis, ita & nunc agi non dedignemini, ut ad cumulum mercedis vestræ perveniat. Et si ita agitis, maxima dona fratribus nostris juxta solita bonitatis vestræ. Iterum atque iterum quasi ad præsens ante genua vestra prostrati precamur ut à cœpta gubernatione vestra nos discedere nunquam patiatur.

*Item alio.*

XXVI. Reverendissimo confratri meo illo ille in Domino salutem. Cùm enim longitudo terræ caritatis illorum non queat evelli quos Christi connectit amor, desi-

derans desideravi literolas parvitas meæ fraternitati tuæ dirigere, ut statim quod præsens loquella conspectui tuo loqui non valet, vel has apices tibi enarrent. Cupio valde quem recordor absentem, ut cum quo mente sum, cum eo etiam corpore sim præsentem. Divinitas te servet per multos annos, parens & custos Dei aeterni, quem colimus, Iesu Christi.

*Donatio à die præsentem.*

XXVII. Sacrosanctæ basilicæ sancti illi monasterio vel alio loco illo constructæ, ubi venerabilis vir ille Abbas vel Episcopus aut Presbyter cum suis Clericis vel monachis præfesse videntur, ego ille cogitans Dei amore vel aeterna retributione, ideoque cedo ad die præsentem ad supradicta basilica & monachis ibi consistentes cessante in perpetuum esse volo portiones meas in loco nuncupante illo, sitas in pago illo, quæ mihi tam de alode quàm de comparato vel de quocunque libet adtracto advenit vel advenire potest legibus in suprâ memorata loca, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, accollabus, merita accollanorum, vineis, silyis, pratis, pascuis, campis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis vel coloniciis ad se pertinentibus, cum omni integritate vel superposito, quicquid dici aut nominari potest, in supramemoratos pagos vel ubique de supradictis portionibus tenere visus sum, totum & ad integrum ad die præsentem ad jam memorato monasterio vel ad ipsos monachos ibi consistentes perpetua-liter trado atque transfundo, de meo jure in vestra trado dominatione ad possidendum, ut quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem à die præsentem faciendi. Si quis verò, quod fieri non credo, in futurum, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, aut ulla emissâ vel opposita persona, vel quislibet qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire, agere, aut resiliare, vel per quibuscunque modis impedire aut infringere conaverit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, & insuper partibus suprâ memorato monasterio vel monachis ibidem consistentibus duplum tantum quantum ipsas res eo tempore emelioratas valuerint componat, & insuper socio fisco multa auri libra una coactus exsolvat, & hæc cessio omni tempore fir-

N n iij